

XIV. VIA APPIA Benevento per Tarentum Brundisium.

Post Beneventum Appiam viam per Venusiam (cf. supra p. 45, item C. Gracchus apud Gellium 10, 3, 5) perrexisse Tarentum et inde per Uriam Brundisium Strabo auctor est (5, 3, 6 p. 233; c. 4, 10 p. 249; 6, 3, 7 p. 283), cuius aetate haec via etiamtum in his partibus primaria erat et magis vehiculis apta (ἀμαξήλατος μᾶλλον) quam altera brevior Benevento per Apuliam Brundisium tendens (v. p. 592). Eandem viam enarrant itineraria duo (supra p. 26 n. VI), nec mutatum esse tramitem eius inde colligitur, quod mensurae conveniunt, nam Strabo l. c. Roma Brundisium per Appiam numerat m. p. CCCLX, ex itineraio autem efficiuntur Roma Capuam m. p. CXXXII, Capua Beneventum m. p. XXXII, Benevento Tarentum m. p. CLVIII, Tarento Brundisium (v. p. 1 n. III) m. p. XLIV, ut fiant Roma Brundisium m. p. CCCLXVI. In his igitur numeris errores graviore nulli insunt. Sed tamen de prima mansione post Beneventum dubitatio superest. Eam ad Aeclanum collocant itinearia consentitque cum iis miliarium Hadriani n. 6075 repertum ad Aeclanum et Appiae se esse ipsum enuntians. At alterum miliarium in his partibus inventum n. 6073 saeculi urbis sexti septimive indicat viam publice stratam a Benevento Venusiam ita pervenisse, ut Aeclanum a dextra maneret, scilicet per Ufitae vallem pervenisse Trevicum. Id ipsum iter Horatius tenuerit necesse est Benevento uno die per asperos montes profectus ad villam Trivici (vide supra p. 121); nam per Aeclanum qui iter facit, uno die vix ad Trevicum

perveniet. Eodem ducit qui ad hanc viam pertinuit pons Aufidi (ponte di S. Venere) prope Lacedognam (v. supra p. 88); cum enim qui petit, parum commode per Aeclanum iter facit. Itaque inter Beneventum et Venusiam Appia aut duplex fuit aut aetate liberae rei publicae et Augusto imperante brevius iter asperumque secuta est per Trevicum, posteriore commodiore circuitu ducta est per Aeclanum.

Aetatis liberae rei publicae publicam itinerum curam ut concedamus aestimari non posse ex miliaribus quae supersunt, immo saepissime vias consulares ita factas refectasve esse, ut nomen eius qui opus faceret memoriae non traderetur, certe primo nostrae erae saeculo viae Italiae inferioris totae neglectae iacuerunt adeoque Augustus, cum Italiae superioris et mediae viis diligentissime prospiceret, de statu regionum infra Capuam et Beneventum necesse est desperarit. Subvenit primus Traianus facta via Traiana per Apuliam, de qua supra diximus. Post eum Hadrianus ipsam Appiam restituit a Benevento ad Aeclanum celebre hac aetate oppidum, similiterque aliquam curam habitam esse extremae partis Tarenti Brundisium (v. p. 1 n. III) ostendunt in ea inventi cippi duo n. 6076. 6077 aetatis labentis. Reliqua via quamquam populi mansit testibus itinerariis, publice cura eius vix gesta est; immo in Appiae locum aliquatenus successit Herculiam Aeque tutico strata Venusiam, inde autem continuata in Lucaniam Bruttiosque.

6072 [= 6287] Beneventi in pontili prope dominos de Murra GVALT. de fragmento inferiore; 'fragmentum columnae prope domum sacerdotis de Longo in muro palatii ducis Mora diruti a me inventum' PACCA de fragmento superiore; in atrio domus ducis Cosciae IDEM de inferiore. Hodie utraque est ante domum marchionis Paccae.

VIII
 IMP · CAESA
 DIVI · TRAIAN haec latent
 PARTHICI · F · DI
 5 NERVAE · NEPOS
 TRAIANVS · HADRI

10 MILLIA · PASSVS
 XVDCCL LONGA
 VETVSTATE AMISS
 ADIECTIS IIS XVI L
 AD' / / / / / C ·
 15 / / / L POSSESSORE
 / GRORVM CONTVL
 / VNT · FECIT
 CLXXII

Recognovimus Dressel et ego. Gualterus n. 32 affert fragmentum inferius; utrumque Pacca cod. B et apud Garruccium locis infra citatis; de Vita ms. (ubi deest fr. inferius), ed. p. 185 et cl. 5 n. 4 (inde Donat. 216, 2); Pococke p. 70 n. 12; Garrucci diss. arch. 1 p. 85, Ben. p. 44 n. 21.

Gualterus quod legit apposui, ut constaret esse eandem: | MILLIA PASS.. | XVDCCL..PON.. | ..IVSTAPE A... | ADIECTIS LIS.. | | AGRORVN IO | RVNI FECIT | CLXX. — Explenda est ex n. 6075. Milia numerantur duplici ratione (v. p. 580), scilicet a Benevento Venusiam versus lapis hic fuit VIII, a Roma urbe (132+32+8) CLXXII.

6073 in superficie columnae altae m. 0.82, diam. 0.47 c. Inter Arianum et Grottaminardam ad ecclesiam S. Mariae della Manna a sinistra portae.

M · AEMILIV sic
 M · F · LEPIDVS
 COS

Dressel invenit et descripsit.

Consules eius nominis patrem habentes Marcum fasces gesserunt a. 522. 567 et iterum 579. 708 et iterum 712; accedunt quorum pater ignoratur consules a. 617 et 628.

6074 [= 6287] frammento di colonna nell' abbazia di Venticane dentro al giardino MAZA.

I M P C
 D I V I T
 P A R T H
 N E R V A
 5 T R A I A N V S
 A V G P O N T
 P O T V I
 V I A M

Maza apud Mur. ms. 21, 234, ed. 2007, 7.